

illud ordinet in bonum commune, et subditos suos injuste verat.

Tyrannus regimine dicitur ille qui legitime assecutus est principatum in aliqua societate, sed per leges manifeste injustas gubernat.

Tyrannus usurpatione ille dicitur qui per ambitionem vel quocumque alio illicito modo potestatem adipiscitur.

Resistentia offensiva seu *activa*. Vis illata. Ita qui aggreditur inimicum, ejus aggressionem praeveniens, *vim ei infert*.

Resistentia defensiva seu *passiva*. Vis repulsa. *Ex.* In actu injustae aggressionis, qui injuste irraditur, *vim vi repellit*.

Monarchia. Regimen politicum in quo potestas publica in una persona, sicut in subjecto, residet.

Polyarchia. Regimen politicum in quo publica potestas in pluribus personis physicis, sicut in subjectis, residet.

BELLUM *materialiter* sumptum est nationum dissensio, ex qua arma sibi mutuo inferunt; *formaliter* autem est violati ordinis publici violenta restitutio. Bellum est *defensivum* aut *offensivum*, *justum* aut *injustum*.

Bellum defensivum locum habet cum populus vim sibi ab alio populo illatam propulsat.

Bellum offensivum est si populus populo vim inferat.

Bellum justum est si ex justitia suscipiatur et informetur. Ad hoc autem tres potissimum